

ORATIVNCVLA
ANDR. HILTEBRANDI,

Medicinæ D. H

Fratre suo amantissimo.

GULIELMO,

Pharmacopœo, 6304,5

THERIACAM, 572957

MITHRIDATIVM,

ANTIDOTVM MATTHIOLI,

Et alia quædam composita Nobiliora,

Amplissimo, honoratissimoq; MEDICO-
RVVM Collegio, in celeberrimâ Pomeranorum Vr
be STETINENSI, presentibus omnium Facultatum Doctori-
bus, Consulibus, Senatoribus, aliisq; Viris literatioribus
& Artis Medicæ cultoribus, favioribusq;

Exhibente,

Habita

VIII. KL. Sextilis, ipsò nimirum Die, D. JACOBO Apo-
stolo Sacro, Annò redempti generis humani
clo. lcc. XXXI.

Adiectis Virorum Clarissimorum aliorumq; Amicorum
Carminibus gratulatoriis.

STETINI, Litteris NICOLAI BARTHOLDI,



ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ

Ad Fratrem

GULIELMUM,
Pharmacopœum.

Æ Mulum uti PATRIS, simul esse Artisq; pe-
ritum

Pœonia, Frater Te GVLIELME probes:
Antidota ostendis Medico Collegio, & hujus
Censura exponis iudicioq; Tria:

THERIACAM Andromachi, & MITHRIDATIS no-
mine Regis

Quod clarum, quodq; est nomine MATTHIOLI.
Singula distinctis demonstras Classibus, & mox
Doctâ commisces artificiq; manû.

Deus Hæc multum profint Medicamina! Tuq;
Porro tuam Medicis perge probare Fidem.

AND. HILTEBRANDT.

Medic. D. V. Non. VIIIbris

Anni clæ Inc XXXI,



Quod felix faustumq; sit in
nomine S. S. Trinitatis!

6304. f



Nnò post natum Christum, Vi-
ci Reverendi, Amplissimi, Nobi-
lissimi, Clarissimi, Consulissi-
mi, Excellentissimi, omnium
ordinum Spectatissimi, Favito-
res, Compates, Adfines & Ami-
ci æternum honorandi, Annò,
inquam, suprà millesimum sex-
centesimo-quintò, Postrid. Eid.
Januar. Parens meus beat. mem.

Dn. ANDREAS HILTEBKANDT, florentissimæ hujus
Reip. Senator & Pharmacopœus Aulicus, *Utamq; Antidotii,*
THERIACAM & MITHRIDATIUM, honoratissimo Medico-
rum Collegio hoc ipsò in locò exhibuit, Illiq; jam vestigijs
insistere, honorificum, utile & necessarium esse duxit *Fra-*
ter meus nativissimus GULIELMUS, Pharmacopolij Paterni
hæres, ut vel hac ratione industriæ suæ specimen aliquod
edat, cum in primis & alios ejusdem Artis Pharmaceuticæ
peritos; Dominos Collegas suos ante pauculos annos,
idem factitasse viderit. Dispensaturus itaq; præter di-
ctam jam THERIACAM & MITHRIDATIUM, etiam nobiliss-
simam illam PETRI-ANDREÆ MATTHIOLI *Antidotum,*
quam in Commentar. præfationis lib. 6. Dioscorid. pro-
lixè describit, & *alia quædam Composita Selectiora,* in lauda-
tissimâ hac literatissimorum Virorum, quos cum in finem

amantissimè invitavit, coronâ id ipsum fieri voluit, gratiasq; ob id Vobis omnibus & singulis, non quas debet, sed, quas potest, agit maximas, quod Actum hunc solemnî suâ præsentîâ ornare & colonestare volueritis. Petijt autem à me, ut ipsius nomine in amplissimò hoc confessû paucis de re præsentî disserrerem, quod licet alijs, qui me & ætate & experienciâ antecellunt, lubentissimè relinquere, frater fratri tamen id denegare nec potui, nec debui; Quare, quàm fieri poterit, brevissimè me expediam, ne Dôminos Auditores nimîâ prolixitate detineam, tempusq; & otium, quod inspiciendis atq; examinandis ingredientibus singulis destinatum est, frustra terere videar. Etymologiam siquidem heic tam THERIACÆ quàm MITHRIDATI, ut & utriusq; vires atq; facultates longò ordine enarrare, cum infinita de illis Auctorum, tam veterum, quàm Neôtericorum, scripta in omnium, versentur oculis ac manibus, Medicisq; hæc omnia plusquam notissima sint, omninò superfluum ac supervacaneum esse arbitramur, sufficit unum hoc indigitare, quòd tam morsibus virulentis, quàm venenis ferè omnibus, Contagio in primis Pestifero, utramq; Antidotum fortiter resistere, eorundemq; quasi Specificum quoddam, Ἀλεξιπυρρον καὶ ἀλεξιφάρμακον esse constet. Præcipuè autem de Tribus hisce tantum, bonò cum DEO, hoc locò agemus; Primò nimirum de iis, quorum in pondere Varietas quadam est: Secundò de quibusdam Omisus: Tertiò de Succedaneis: Eorum quibus diversum pondus adsignatur, duo sunt: *Unum* PIPER UTRUMq;, LONGUM & NIGRUM, Andromachus senior enim in Carmine apud Galen. lib. 1. de Antidot. c. 6. & II. item lib. de Theriacâ ad Pison. c. 12. ponit Piperis longi Drach. XXIV. Nigri verò Dr. VI. contrâ Andromachus Junior in prosâ, ibid. cap. seq. 7. Piperis nigri Dr. XXIV.

*II. Ποικίλη
in Pondere
Varietas.*

Dr. XXIV. & longi Dr. VI. quod ibid. Gal. notavit his verbis:
Unâ autem in re tantum hæc Junioris Andromachi ab eâ
differt, quæ carminibus descripta est, quod illa Piperis
longi Dr. XXIV. Nigri sex habet, Hæc autem in prosâ ora-
tione, nigri XXIV. longi VI. continet. Itâ etiam Damo-
crates in descriptione Theriacæ, quæ Jambicis versibus
conscripta extat, lib. I. de Antid. c. 6. Piperis nigri Dr. XXIV
habet, Hunc, ut & Andromachum imitantur Aëtius Te-
trabibl. 4. ferm. 1. cap. 91. Item Paul. Ægin. lib. 7. cap. 11. &
Norici in Dispensatoriô suô.

Alterum est SAGAPENUM, In hujus quoq; pon-
dere dissentiunt, Senior enim Dr. iiii. Junior duas tantum
ponit, & cum hoc postremò consentiunt Aëtius & Ægi-
neta, omnes locis supra citatis.

Nos utroq; in locò Andromachum Seniore sequu-
ti sumus, & quidem auctoritate Præceptoris nostri Gale-
ni, qui lib. de Ther. ad Pison. c. 12. traditionem ejus ut
optimam probat, cui adstipulantur Franciscus Alexan-
der Vercellensis in Apolline, rad. 1. item Pharmacop. Aug-
gust. ab Amplissimæ Reipubl. istius Collegiô Medicô ho-
noratissimò nuper recognita: nec quicquam omninò
nos movet, quòd Georg. Melich. Pharmacop. Venetus in
commentar. suis ad Ther. Andr. in maxumò errore eos
versari tradit, quantumvis sint viri docti, qui Piper lon-
gum Antidoto miscent, cum ipsemet potius incusandus,
utpote qui nec Galeni Codices, nec Andromachi Car-
men, id ipsum, Piper longum puta, habere scribit, quod
tamen falsissimum est, nam Gal. uti supra notatum, lib.
d. Ther. ad Pison. c. 12. & 1. de Antidotis cap. 11. expressis
verbis Piperis longi Dr. XXIV. ponit, & hæc sunt verba in
Elegiaco Androm. Senioris Carmine, postquam Pastillos
& Scyllâ descripsit,

His igitur lancem primum cumalabis, & octo
Bisq; decem drachmas accipe bisq; decem,
Dimidium superadde rotæ, quam Vipera fecit,
Et Piperis longi sit quoq; pondus idem.

Integrum id exstat cap. 6. & 7. lib. de Ther. ad Pison. & c.
6. lib. 1. d. Antid.

s. *Omissa.*

Secundò locò consideranda veniunt *Omissa* quædam,
inter ea primum est ABROTONUM, Hoc Norim-
bergenses in Dispensatoriò suò Compositioni THERIA-
CÆ ex Galenò & Aëtiò simul desumptæ, post Sem. Sefeli-
os Mafsiliensis quatuor drachmarum pondere inserunt,
quemadmodum etiam in Pharmacop. August. peculiari
cuidam præparationi THERIACÆ, à Medicis Romanis ac
Bononiensibus olim auctæ, multisq; in locis mutatæ, & à
D. Lucâ Stengeliò, D. Adolpho Occoni Juniori commu-
nicatæ, duodecim drachmæ illius admittæ leguntur: Ve-
rùm licet Sem. Abrotoni, teste Dioscor. lib. 5. cap. 25. in
vinò potum exitialium venenorum Antidotum sit, & ser-
pentium ictibus medeatur, tamen, cum apud Aëtiùm
tantùm Tetrabibl. 4. serm. 1. c. 91. unde Norici id ipsum
mutuati, nobilissimo huic Pharmaco adjectum reperia-
tur, meritò & nos, reliquorum, tam veterum quàm recen-
tiorum vestigiis insistentes, hoc locò omisimus.

Sic & PIPER ALBUM neq; Andromachi Senioris,
neq; Junioris THERIACAM ingreditur, Damocrates au-
tem λευκὴ πικρῆς, h. e. PIPERIS ALBI sex drachmas ad-
dit, uti videre est apud Gal. lib. 1. de Antid. c. 16. quem
Aëtius Tetrabibl. 4. serm. 1. cap. 91. Paulus Ægineta lib. 7.
c. 11. & è recentioribus quamplurimi uti Joh. Jacob. We-
cker. lib. 2. Antidotar. Specialis. Laur. Joubert. in Phar-
macop. sect. 3. de Confectionib. Opiat. Jos. Quercetan. in
Pharmacop. Dogmaticor. restit. cap. 23. Bernh. Dessen. lib.

1. de

1. de Comp. Medicamento. Medici itidem Florentini, Augustani, Norimbergenses, Colonienses & alij in suis Dispensatorijs sequuti, nosq; eorum calculo jure meritò subscribimus, parum curantes, quòd Neötericorum nonnulli, quos inter & Franciscus Alexander, Joänn. Renodæus, ac Georg. Melichius tam nobile Aroma siccò pede prætereant, cum tamen id ipsum reliquis duobus Piperis generibus longè acrius magisq; odorum sit, ità ut præfatus Aëtius d.l. in leucopiperis defectum pro tribus drachmis novem piperis nigri drachmas sumendas esse moneat.

Idem jam, quod Piperi albo, ACORO quoq; obtigit, nam uterq; Andromachus in compositione THERIACÆ illum omisit, sed Damocrates in Jambicò sub Carmine, cujus supra facta mentio, quatuor drachmarum pondere reliquis ingredientibus admiscendum jubet, id ipsum fecere Aëtius & Ægineta locis jam allegatis, è recentioribus etiam Florentini, Colonienses, Norici & Augustani, quos in præfenti magni hujus Antidoti dispensatione imitari voluimus, præsertim cum ACORUS HIC, VERUS nimirum vulgò CALAMUS AROMATICUS OFFICINARUM, ut & apud Matth. Lobelium, licet minus propriè, ità dictus, non *Pseudoacorus* sive *Acorus nostras palustris*, teste Dioscoride lib. 1. c. 2. Serpentum moribus auxilietur. Monendum tamen hoc locò, non parùm errare eos, qui heic CALAMUM ODO-RATUM sive Indicum pro Acorò verò sumi volunt, cum, videlicet CALAMUS non radix, sed è Juncorum sive Arundinum genere sit, uti videre est apud præfatum Dioscor. lib. 1. c. 17. & Petrum-Andr. Matthiolum in commentarijs, plenius autem in Historiâ Aromatum aliorumq; simplicium apud Indos nascentium à Garziâ ab Hortò, quam nobilissimus Dn. Carolus Clusius, trium Imp. Romanor. Botanicus celeberrimus, postmodum verò in Academiâ Lugduno-Batavâ Professor honorarius, ubi illum
per

per totum triennium novi, latinò sermone in Epitomen
contraxit & iconibus ad vivum expressit, annotatiuncu-
lisq; illustravit, describitur lib. 1. c. 32. Interim non nega-
mus *Calami huius Odorati* etiam locum aliquem esse in *The-
riacâ, Throchiscorum Hedychroi* siquidem confectioem sub-
intrat, ità enim legitur in carmine apud Gal, lib. 1. de An-
tid. cap. 10.

Magma quod Hedychroum latè dixere
colore,

Assalathi drachmis Asariq₃, Mariq₃ du-
abus

Constat, nec plures attollit Amaracus illis,
Tres calamus, latè suaves qui spargit odo-
res. &c.

Græcus textus habet καλάμῳ τεῷ ὠδὸς ὅ. h. e. Calami fragran-
tis sive gratissimi odoris, Norimbergenses ob illius dese-
ctum *Galangam* substituunt. Nos autem, cum *Calamum*
hunc Odoratum jam habeamus, eò ipsò in præfati Magma-
tis compositione uti maluimus.

g. Succeda-
nea.
Supereft ut ad ἀνβαλλόμενα sive *Succedanea* nos con-
vertamus, Illa tamen omnia heic recensere, non est no-
stri instituti, nimisq; longum ac tediosum foret, cum
hæc ipsa Medicis & Pharmacopœis aliàs satis superq; no-
ta, de præcipuis tantùm, ijsq; potissimum, quæ hoc locò
substituimus, agemus, & quorum id auctoritate factum,
quibusq; rationibus moti, breviter indicabimus.

Primò itaq; occurrit in *Theriaca Andromachi*, prout
illa in certas Classes distributa est, *Scordium Creticum*, quod
etsi, aliunde ad nos allatum, habemus, minus tamen effi-

cax illud arbitramur, cum inodorum sit, proinde cum Norimbergensibus *Scordio nostrate*, quod aquè venenis resistere novimus, loco Cretici uti voluimus, quod ipsum Thom. Erast. in Consilijs suis & Examine simplicium, Theriacam ingredientium, ad Stephanum Sprengerum, suadet, motus imprimis auctoritate Gal. qui lib. 1. de Antid. c. 12. inquit: SCORDIUM pulcherrimum CRETA mittit, quanquam in alijs regionibus etiam minimè contemnendum reperitur, ubi & hoc addit, quorundam in præliò occisorum cadavera, quæ fortè fortunâ suprâ Scordion ceciderant, multosq; dies insepultra jacuerant, minus alijs computruisse.

De ZEDOARIA, in locum COSTA, aut ANGELICA, pro radicibus MEU, item SILERE MONTANÒ, pio SEM. SESELEOS substituendis, non est, quod moneamus, cum illa, ut & alia, ad nobilissimas hæc Antidotos requisita, Vera jam magnò sumptu & labore è locis remotioribus frater meus huc adferri curarit.

Sequitur AMOMUM, Hujus locò, cum verum illud, quod Dioscorides lib. 1. c. 14. describit, ad nos non deferatur, Gal. lib. 6. de simplic. Medic. facult. & librò de substitutis Medicinis ACORUM sumit, quòd similem AMOMO facultatem habeat, verum id aliàs THERIACÆ compositionem subintrat: Alijs ROSA HIERICUNTA, alijs PES COLUMBINUS, quæ planta Geranij speciem præ se fert, placeat, sed hos Petr. Andr. Matthiol. in Commentar. cap. 14. lib. 1. Dioscor. multis argumentis refellit, uti etiam legitur apud Clusium in versione lib. 1. Aromatum apud Indos nascentium Garz. ab Hortò. Thom. Erast. in præd. Exam. Garyophyllos, Galangam, Angelicam: Augustani Seminis Citri & Comarum Hyperici ana partes æq. itidem Baccas Juniperi, aut potius *Amomum racemiferum sive*

racemosum substituunt, quod & *Andromachus senior* intellexisse videtur apud Gal. lib. 1. de Antid. cap. 6. in Carmine suo

*Cumq; racemiferò Celtarum Nardus
Amomò: &c.*

His etiam Norimbergenses subscribunt. Ideoq; cum & nos hoc ipso potiti jam simus, ceteris neglectis, presententi Antidoto illud admiscebimus: Et hoc de AMOMÒ. Nunc ad CASSIAM LIGNEAM properandum, ejus licet varia à Dioscoride lib. 1. cap. 12. recensentur genera, præfertur tamen ab eodem crassa, purpurea, & quæ rosam odore imitatur, VERAM a. CASSIAM quod attinet, est ea, secundum Carol. Clusium, in versione Historiæ Aromatum apud Indos nascentium Garziæ ab Horto lib. 1. cap. 15. peculiaris cujusdam arboris in Indiâ Orientali nascentis cortex interior, qui exemptus crasso illo & exteriori librò repurgatur, inq; laminulas quadrangulares dissectus, humi abjicitur, atq; ita per se convolvitur, coloremq; roseum, sive ex cinereò vinosum solis calore contrahit, vulgò CANELLA sive CINNAMOMUM OFFICINARUM vocatur, sic enim Carolus Clusius d. l. nullam omninò Indos inter CANELLAM & CASSIAM differentiam facere tradit, nisi quòd arbores alia tenuiore prædita sint cortice, qui magis commendatur, alia crassiores, qui superiori bonitate cedit, unde quidem factum, ut nonnulli CANELLAM in varia genera distinxerint, videlicet in *Cassiam*, *Cinnamomum* & *Cassiam ligneam*, cum tamen unus generis Arbor sit, quæ istos cortices profert, & sola loci varietas faciat, ut altera alteri præstantior sit: Itaque ex Insulâ ZEYLAN adfertur omnium optima. habe.

habetur, præferturq; illi, quæ in JAOA five JAVA In-
sulâ aut in MALABAR crescit, & hinc etiam incolæ
pro soli poliç; varietate diversa corticibus indidère no-
mina, uti plenius ibidem videre est; Ideoç; & nos illam
ipsam heic, quæ, ut Joh. Manard. lib. 8. Epist. 1. & Matthi-
ol. in Commentar. prædicti capitis loquuntur, pro CIN-
NAMOMO venditur, tanquàm *Veram Cassiam li-
gneam*, si non Zeylaniticam, saltem ex Javâ aut Malabar,
suo loco posuimus.

Modicò intervallò huic subicitur jam CINNA-
MOMUM, id quidem Galeni tempore rarissimum fu-
it, & nisi apud Imperatores haberi potuit, quemadmo-
dum integram Arborem è Barbarorum terris Romam de-
latam scribit, unde M. Antonino Imp. Antidotum quan-
dam composuerit lib. 1. de Antid. cap. 13. Imò Petr. Andr.
Matthiol. in Commentar. cap. 13. libr. 1. Dioscoridis,
CINNAMOMUM, quod legitimum sit, quanquàm id
diù multumq; tum Venetijs, tum Neapoli, & apud mer-
catores, qui ferè quorannis in Alexandriam navigant,
conquisiverit, nunquam sibi videre licuisse fatetur. Nos
tamen CINNAMOMUM VERUM, h. e. corticem te-
nuiolem, siue *Cassiam optimam*, qualem in *Insulâ Zeylan*
præter Garziam ab Horto & Carol. Clusium etiam Guli-
elmus Jansonius in Universali sua Tabulâ Geographicâ
copiosò proventû nasci adserit, quæque sic à priore
CASSIA tam bonitate, quàm origine loci differat,
huc quoque transmissam credimus, & ob id haut opus
esse arbitramur, ut, secundum præscriptum Galeni, pro
qualibet CINNAMOMI parte duplum CASSIÆ
adhibeamus, cum id ipsum Garzias ab Horto loco su-
prâ cit. improbet, Medicos ac Pharmacopœos, ne
id faciant, unicè rogans, & ipse Gal. lib. 1. d. Antid. c. 13.

*Supremam Cassiam ab infimò Cinnamomò parùm
diffare testetur.*

Sed ne diutius hisce immoremur, de FOLIÒ INDÒ quoq; paucula dicenda sunt, Est illud, veluti à Garzià ab Hortò lib. 1. c. 19. describitur, Mali Medici folio simile, angustius tamen per extremum, colore viridi, tribus per longitudinem excutrentibus costis, quà notà facile dignoscitur, odoratum, Caryophyllos quodammodo redolens, non tam vehementis odoris ut Nardus, aut Macis, neq; tam subtilis, aut acuti, ut est Canella; Incolæ istius loci TAMALAPATRA adpellant, quam vocem Græcos & Latinos imitatos corruptè MALOBATHRUM nuncupare ait. Petr. Andr. Matthiol. Commentar. in lib. 1. Dioscor. cap. III. Neminem se habere fateetur, qui suà ætate illud viderit; contra Garz. ab Hortò nullò *αὐτὸπαρὰ τοῦ ἴσου* opus esse inquit, si Medici & Pharmacopolæ Lusitani diligentiores essent, siquidem tanta ejus copia ex Indià exportari possit, quæ universæ Europæ sufficeret; ob penuriam autem illius CANELLE folijs utendum, sin minus, SPICA NARDI, quam & Gal. substituit. Nos verò quicquid sit, licet FOLIUM istud, quod ex alijs locis Seplassarij mittere, & pro verò venditare solent, æquè ad manus habeamus, non tamen id ipsum, cum minus recens, nec odore, nec sapore aromaticò præditum sit, & ob id haut genuinum esse arbitremur, nobilissimis hisce Antidotis admiscere, neq; etiam NARDUM sive Spicam tam Indicam, quàm Celticam, quod Norimbergenses & Thom. Erastus, auctoritate Galeni, faciunt, neq; cum eodem IRIDEM ILLERICAM, siquidem hæc omnia aliàs compositionem illam ingrediuntur, sed, honoratissimum
Medi-

Medicorum Collegium in inclutâ Augustâ Vindelico-
rum sequuti, FOLII locò, MACIS & GARTOPH TL-
LORUM ana partes æquales sumere maluimus, non cu-
rantes hæc in parte præfatum Garziam ab Hortò, qui
Macis usum improbat, quia nullam addit rationem,
mox tamen subjungit, Avicennam THADISAFAR sub-
stituere, quod Clusius in notis MACEREM Græcorum
esse explicat.

CARPOBALSAMUM, sive FRUCTUM BAL-
SAMI quod attinet, describitur quidem is à Nicol. Mo-
narde, Medicò Hispalensi, quod ciceris aut pisi grandò
major non sit, amari gustus aliquantulum, inclusus ex-
tremâ siliquâ angustâ, digitum longâ, albâ & tenui, quo-
niam verò illò destituimur, cum Augustanis & alijs Cu-
BEBAS sumendas esse arbitramur, non GARTOPHTL-
LOS cum Eraslò, aut NUCEM MOSCHATAM cum
Franciscò Alexandrò, cum & Illi locò Folij, & Hujus Ole-
um, uti mox diceretur, locò Opobalsami THERIACAM
subintrent, neq; etiam cum Norimbergensibus & Meli-
chiò BACCAS JUNIPEKI, CUBEBAE siquidem propi-
us ad prædicti fructus naturam accedere videntur, quàm
grana Juniperina.

Idem jam defectus in OPOBALSAMO, sive
Liquore aut Succo veri Balsami, occurrit: Hic, eodem
Nicol. Monarde auctore, in Hispaniâ elicitur ex Arbo-
re, Punicâ Malò majore, cujus folia Urticæ similia, ser-
rata & tenuia sunt, Indi XILO vocant, præparatio &
usus ibidem prolixè describitur. Nos, probatissimos
quosq; sequuti, in confectione THERIACAE, OLEUM
NUCUM MTRISTICARUM per expressionem, in
MAGMATE verò, sive TROCHISCIS HEDTCHROI,
qui eandem quoque ingrediuntur Antidotum, OLEUM

GARTOPHTLORUM stillatitium substituiamus, Ad
manum tamen pariter erunt, tam BALSAMUM INDI-
CUM sive PERUVIANUM, quam *Oleum Nucis Mos-
schatae destillatum*, quod utrumq; à nonnullis etiam,
teste Erastò, pro OPOBALSAMO sumitur.

Nunc ad SIGILLUM, sive TERRAM LEMNI-
AM accedimus, allata quidem illa ad nos gemina, una,
simplex, altera in Orbiculos redacta, literisq; Turcicis
signata, Utramq; monstrabimus, majorem tamen
hac in re Petr. Andr. Matthiolo fidem habemus, ut por-
te qui in Commentar. libri 5. Dioscor. cap. 73. eorum
adprobat sententiam, qui nil aliud TERRAM
LEMNIAM esse putant, quam BOLUM ARME-
NIUM, qui Officinis Seplasiariorum ORIENTALIS
cognominatur, Hunc sequuntur Medici Norimbergen-
ses, Franciscus Alexander in Apolline, Thom. Erastus
& alij, Nos & prædicti BOLI, legitime præparati, &
TERRÆ SIGILLATÆ SILESIACÆ, quæ plurimum
etiam potest in venenatis & contagiosis adfectibus, par-
tes æquales sumpsimus, sin autem consultius videbitur,
aut hanc, aut illum tantummodò substituendum, non
repugnabimus.

Restat demum, ut de CHALCITIDE quoq; pa-
rum addamus, Norimbergenses VITRIOLUM VIRIDÈ,
quale est *Goslariense in Saxonia*, velut optimum,
accipiunt, quamvis & inde nativa satisq; bona CHAL-
CITIS haberi possit. Joseph, Quercet. in Pharmacop.
Dogmaticor. restituta cap. 23. recentiorum nonnullos
nihil ferè discriminis inter CHALCITIDEM & CAL-
CANTHUM sive VITRIOLUM statuere ait, qui hoc
ipsum, igne calcinatum, inq; Colchotar redactum, & qui-
dem

dem partem ejus rubicundiore colore tinctam, in descriptione THERIACÆ, loco CHALCITIDIS recipiunt; Selectissimum autem sumi vult VITRIOLUM HUNGARICUM, ROMANUM aut CYPRIUM, quod nihil sit præstabilius ad hoc opus, quod si tamen compositioni huic, in locum *Vitrioli calcinati, Spiritus Acidus* & excellens ab eodem e ductus, inquit, admiscetur, res multò melius procedet, & ipsa prædicti Antidoti fermentatio, tanquàm maxumè necessaria, plurimum promovebitur, idem multis rationibus confirmat & illustrat Dn. D. Laurentius Eichstadius, Physicus & Collega noster, in notis suis ad Dissertationem Medicam de THERIACA & MITHRIDATIO, à Dn. Johanne Holtzvertherò Pharmacopœdò, Compatrie meò honoratidò, ante septennium exhibitis, cumq; id ipsum hæcenus, in præparatione Nobilissimorum horum Antidotorum, Pharmacopolæ nostri, adprobante quidem honoratissimò Collegiò Medicò, observârint, & *Spiritum Vitrioli, optumè rectificatum, Chalcitidi rosta* substituerint, nos pariter hac vice eorum exempla sequuti, tam præfatum *Spiritum*, quàm *Oleum subtilissimum*, & ab omni phlegmate quàm maxumè depurgatum, exhibebimus, utrum horum admissuri sint, ut & reliqua omnia, quæ in medium protulimus, *αὐτοκράτωρ*, libero Clarissimorum Dominorum Collegarum, judicio relinquentes.

Tantùm de SUCCEDANEIS, Vestrum jam erit, Viri Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimi, fautores, Compatres, Adfines & Amici plurimum colendi, simplicia hæc, Antidotorum horum compo.

compositionem ingredientia, prout ordine honorabili
huic Confessui impræsentiarum exhibebuntur, probè in-
spicere, ad æquam veritatis ac rationis lancem examina-
re, de iisdem candidè & apertè judicare, quidnam unū
aut alteri substituendum, liberè indicare, tandemq̄,
ubi necessitas efflagitaverit, sedulæ legitimæq̄ præ-
parationis testimonium dare, Inprimis autem honoratissi-
mi Collegij Medici opem imploramus, ut Domini Do-
ctores postmodum etiam Antidotorum prædictorum
Mixtioni non tantum præsentis interesse, sed & eadem
peractâ, ad omnem nimirum suspicionem evitandam,
vascula probè occludere & obsignare velint; Facient
hac in parte Fratri meo-amantissimo rem gratam quàm
gratissimam, qui rursus officia sua ac studia, qualia
qualia, vobis omnibus & singulis quovis
tempore promptissima paratissi-
maq̄; obferr.

D I X I.



CAR.

6304.T

CARMINA AMICORUM
GRATVLATORIA,

ad 6304

Ad

5

Industrium, Solertissimumq; Virum,

DN. GULIELMUM

HILTEBRANDUM,

Pharmacopœum Stetinensem,

Theriacam, Mithridatium, Antidotum Matthioli

& alia Composita Selectiora honoratissimo

MEDICORVM Collegio ex-

hibentem.



*V*ando manu doctâ dispensas Pharmaca
& herbas,

Theriaca arte tuâ fiat ut Androma-
ches;

Sollicitum VVilhelme probas te Pharmacopolam,

Qui curas morbos, ut Medicina fuget.

Humanum hoc medium est: fove verbum omnia cu-

Theriaca hoc addat de super ille tue! rat;

M. DAVID REVTZIVS

Superintendens Ducalis Stetinensis.

C

Theri-

T*heriaca Antidotus* cœlorum è sedibꝯ orta est,
Ad depellendum pestiferum omne malum.
Pestis enim, ut nota certa Dei est, & pœna, fu-
rentis:

Sic placati etiam est hæc nota certa DEI.
Namq; DEVS pungit sanè ob peccata, sed ungit.
Idem etiam, si quis mente oculisq; fleat.
Illicò & ostendit mortem se nolle, at amare
Vitam, fons vitæ est namq; utriusq; DEVS.
Si volet, ille potest pestem curare venenò,
Pestifera ut fiant cuncta salutifera.
Hòc argumentò ingreditur quoq; vipera massam
Theriacam, & cordi convehit omne bonum.
Nam (mihi si liceat magnis componere parva)
Ipse etiam Christus vipera salvifica est.
Hæc sunt naturæ & Scripturæ mystica sacra,
Quæ probat humano se benè velle gregi.
Ergò tibi grates debentur amice *Vilhelme*,
Qui nullis parcis sumptibus aut precio;
Sed mirâ arte manuq; paras tam nobile donum,
Quod sit proficuum civibus atq; tibi.
Fama etenim tua sic crescet, *laudesq; paternas*
Insper hicce tuus conduplicabit honos.

DANIEL CRAMERVS D.

Immor-

Immortale viget Mithridatis nomen in orbe,
Non tantum ex bellis, quæ fera gessit ovans,
Sed quod adinvenit solerti indagine mentis
Pharmaca, quæ validè dira venena fugant:
Sic non parva illis debetur gloria, tantis
Qui nunc in ventis addere plura student.
Quæis te accensemus meritò, celebrande **W**ilhelme,
Qui gestis simile his conficere Antidotum,
Atq; hoc sine, gravi collecta Exotica sumtu
Herbas & gemmas, cæteraq; innumera,
Doctorem insigni, non absq; stupore, Coronæ
Nuper lustranda, atq; arte probanda dabas.
Jova, precor, ceptis faveat, faxitq; salubrem
Theriacam, & vestram prosperet usq; domum.

M. JOACHIMVS PRÆTORIVS,
Ecclesiastes & Professor Illustris Pædagogij
Stetinensis.

Sustulit ad cœlum famâ Regem *Mithridatem*
Antidotū, immunē quod præstitit arte veneni.
Clarius haud regnis fuit, aut vi roboris; atq;
Vndecies binis linguis, quas ore locutus.
Andromachum nemo nosset, nisi carnibus ipsis
Vipereis virus docuisset pellere sævum.

Ergò quis affectat memorabile nomen ab arte
Pharmacopola parat promptâ hæc medicamina
dextrâ.

Præstitit ANDREAS HILTBRANDVS Phar-
macopœus

Hoc olim *Senior, fidus patriæq; Senator.*

Tu quoq; laudati sequeris vestigia *Patris*
GVILHELME, atq; paras sollerti industrius arte
Antidota Andromachi, Mithridatis, Matthioliq;
Illorum species vidit, studiumq; probavit
Inclytus ordo tuum Medicorum & Philosophorū.

JOVA tuis operis, oro, benedicat ab alto,
Illius ut laus sit, qui vires indidit herbis,
Ægrotisq; salus, & lucrum Pharmacopolæ.

ἀντιγὰρ. scribebat

CHRISTOPHORUS SCHULTETUS D.

EPIGRAMMA.

THERIACAM, & Regis MITHRIDATIS nomine claram,
Et quam MATTHIOLUS repperit arte nova:
Rarum & vix visum est, præstantem Pharmacopœum
Tres unâ antidotos exhibuisse dic.
Exhibuisse tamen patriæ te hoc tempore easdem,
Ipsa tibi locuples patria testis erit,
Et dispensatas magno sumptu atq; labore,
Hæc atas præsens posteritasq; sciet;

Ipsè

Ipse admiratus cultum, insolitumq; nitorem
Simplicium, & famulas artificesq; manus.
DISCIPLINA *Parris* quatum, *Fraternaq;* cura
Possit, grato animo nosce, tuosq; doce:
Et perge Adfinis, meritis superare Parentem
Has sancto gratas redde vices cineri.
HILTEBRANDORUM famamq; & nobile nomen.
SEDINUM æternæ laudis honore beer.

Adfni Cariss.

Samuel Scarlach. Med. D.
& p. t. Facult. Decanus in Academ.
Francofurtana-

S*Vppetias agris multis tulit Antidotorum*
Autor, & ostendit tollentis inesse medela
Spem morbos illis, ac toxica posse fugari.
Hoc dum perpendis, mi Pharmacopola VILHELME
HILTEBRANDE, paras celebratam tempore longo
Antidotum Andromachi, Mithridatis, Matthioliq;
Officiumq; facis laudati Pharmacopœi.
Et Frater tuus ANDREAS, qui clarus in arte
Est medicâ, dum te perplexum errore viarum
Ducit, & ire viam docet, ut sub pondere justo
Et numero fiat selectio simplicis herba
Ac succi, nec non cujusvis materiei,
Quam triplex hoc Antidotum poscitq; cupitq;

Officium præstat Medici fratrisq; probati.
Sic tu par fratrum cœptis instare secundis
Pergito: nam curâ rerum sapientia crescit:
Pergito, & æternùm sic vestri fama manebit.
At vos, ô Cives, quæ cura est vita salutis
Aurea, ad innumeros illis feliciter uti
Antidotis morbos, Medico præeunte, potestis
Ut posthac sani sitis recteq; valentes.
Namq; satis morbiq; graves pestesq; nocentes
Hactenus afflixerê urbem discrimine nostram.
Sic etenim Medicus, sic Pharmacopola, laboransq;
Ex acri morbo sua commoda sentiet inde.

Officiosi affectus, applausus & affinitatis
ergo fundebat

LAURENTIUS EICHSTADIUS
Medic. D. & Reipubl. Secr. Physicus Ordinarius,

H Iltebrandiadas Patriæ quis lumina Quinq;
Abnuat esse suæ conspicuosq; viros.
Vnus ceu verus multâ Podalirius arte
Depellit morbos, mortiferamq; luem.
Alter caufarum nodos dissolvit, & amplus
Urbis Stargardi Syndicus usq; cluet.
Doctor uterq; gravis, nec non industrius auctor
Muneris ornandi consilijq; boni.

Terti-

Tertius inde subit clarus probitate Senator
 Et vir habens paucos integritate pares.
 Hinc *Quartū* Nurnberga tenet multū incluta Mar-
 Civem & se tantā gaudet habere fide. (te.
 Sublequitur *Quintus* scriptā medicamina lege
 Qui parat, & variis temperat ista modis.
 Nuper *Theriaces* doctā cum promeret arte
 Materiam, vah! quot, qualia, quanta dabat!
 Quicquid in Europæ campis Asiæq; viretis
 Crescit: quicquid atrox, Afer & Indus habet;
 Ipse sub aspectum dabat: *ingredientia* mirā
 Arte recensēbat, nomine cuncta notans.
 Nos spectabamus, species tot inesse stupentes
 Vni Theriacæ, tot genera arte capi.
 Quin etiam mirabamur solertiam & artem
Hiltebrandiadae, hoc suscipientis opus.
 Verū patri sare Virum, specimenq; probatum
 Vidimus eximii prodere iudicii.
 Quare conjunctis animis votisq; precamur:
 Ut bene cedat opus, sitq; medela bona;
 Ut gens *Hiltebrandiadam* per secula crescat,
 Floreat, & multos sublevet, arte, fide.

Honoris & sinceri affectus causâ f.
M. Martinus Leuschnerus,
 Rector Ducal. Pedag.

Frigo.

F Rigoribus vestes; hosti arma; facemq; tenebris
Objicimus. Præstò est namq; medela malis.
Morbis opponit Medicus medicamina, & herbis,
Succisq; herbarum scit remove febres.
Sed morbum haud pellit morbis, nec frigore frigus.
Adversa adversis sunt adhidenda malis.
Ergo quid causâ est HILTBRANDE, Venena Venenis
Quod novo in Antidoto Theriacaq; paras?
Scilicet in rebus, quas infecere venena,
Adversus virus vis latitare solet:
Hanc arte eliciens quid non meruisse videris,
Per quem venalis nunc Panacea datur?
Ambrosiæ quam nec succi, nec nectare mixtus
Potus, nec sapidum mel superare potest.
Macte HILTBRANDE hac arte tuâ, quâ commoda præstas
Multis, & multos non sine laude juvas.

M. JOH. MICRÆLIVS.

A *F*ligit variis mortalia pectora morbis
Ob turpis vita crimina feda DEUS:
Et tamen irarum mediò sub fulmine clemens
Opponit morbis pharmaca sana feris.
Pharmaca, pœoniâ qua norunt arte periti
Illius donò composuisse probè.
Inter ea Andromachi præcellit pharmaca sanè
Theriaca, ut virus pellere que valida.
Hanc, VWilhelme, paras quia Tu jam temporis arte
Pœoniâ, pestis quum rabiosa furit,

Rem

*Rem facis et Iovæ gratam, mortalibus atq;
Acceptam, laudes arte parasq; tibi.*

*M. MARTINVS BAMBAMIVS
P. L. Caf. & Sch. Sed. Sen. ConR.*

Sunt hominum multi celebrantes carmine longo
Divitias, tanquam fastigia summa secundæ
Fortunæ; plures suprema cacumina honoris
Collaudare solent, veluti præconia famæ
Præclara; multis arridet foeda voluptas,
Ast quid opes? abeant, irritamenta malorum,
Et quid honor? valeat, valeat quoq; falsa voluptas.
Mi placet at longè meliùs memorare celebri
Carmine cum sapiente Syracide pharmaca, summus
Quæ DEVS è terrâ producit, ut illa medentur
Morbis, ac ex his medicâ medicamina possit
Pharmacopola parare manu, queis pellere morbos
Atq; febres, tussim, contagia diraq; Pestis
Æmulus Hippocratis valeat virtute medendi,
Ingeniose VILHELME tuis hinc gratulor ausis,
Gratulor & meritò, multò majora præoptans,
THERIACAM ANDROMACHI tu nempè ex arte parasti,
Quamq; etiam Medici (velut aurum flamma) probârunt,
Inde DEVS certè laudatur ab omnibus, atq; hinc
TV GVLIELME tibi nomen sublime parabis.
Supremus Medicus Medicinæ Conditor unus
Faxit, ut hæc profint homini depellere pestem,
(Quæ, dolor heu! tacitè reptans dominatur ubiq;)
Omnigenis etiam morbis occurrat & opto,
Quò DEVS hoc ipso celebretur in orbe perennè,
Teq; tuosq; simul (superaddo vota) JEHOVAH

D

Confer-

Conservet longè sanos! quò pharmaca plura
Conficias, Precor ex animo, DEVS annue votis!

Johannes Sarnovius
Kyriciò-Marchicus.

IRatum nobis præbens se Conditor orbis,
Circumdat summâ nos bonitate suâ.
Nam lapsos suasos stygiâ à Serpente Parentes
Debebat morti tradere perpetue.
Immensa clemens DEVS ast amplectitur illos
Gratiâ, & ipsorum Vulnera puncta ligat.
Grandia sic Patriam patrat a ob crimina pœnis
Affligens, istis liberat almus eam.
Sic totum variis dum morbis afficit orbem,
Delictis motus que sine fine facit.
Ille simul vires morbos inhibere nocentes
Herbis & variis floribus indit agri.
Quin & ad humanos aliquem DEVS excitat usus,
Is varios morbos semper ut arte juvet.
Sic HILTBRANDE, DEVS, vir præstans atq; peritus,
Te legit, vult & Pharmaca tuta pares.
Suscipis in te aquâ dignos quos mente labores,
ANTIDOTVM doctâ conficis arte tuâ.
Monstrâsti & nuper magnâ cum laude SEDINI
In celebri, & doctis urbe nitente viris.
Non idèò verò tantùm MITHRIDATIA monstras,
Divitias cumules hâc ratione tuas.
Moribus at patriis tu quod secedere nolis,
Vincere ut hos potius quàm videre sequi.
Qui cum perpetuâ quondam Mithridatia laude
Primus in hac doctis obtulit urbe viris.
Insuper ut possis hominum præstò esse saluti,
Pellere quò rectè dira venena queas.

Dei DEVS ut virus pellant tua pharmaca, vires
Reddant, quæ doctæ conficis artis opo.
Et precor, appropiet ne pestis sævior hostis
Tibi, ne pestiferum pharmaca virus alant.

Gratulationis & honoris ergo fecit
BALTHASAR NEANDER,
Pyriciâ-Pom:

WEr sind doch nur die Leut/ so vnbedencklich sagen:
Daß diese heutige Welt nicht eben solte tragen
Die Weißheit/ vnd die Kunst/ auff allerley manier/
Gleich wie die Alten vor? betracht es selber hier/
Natura hat ja noch den Schlüssel aller Sachen/
Weiß künstlich/ mancher art/ was sie nur selbst wil machen/
Sie wirket wie zuvor/ ist kräftig vberall/
Ihr Nahm^e ist außgebreitt in gantzer Welt/ mit schall;
Bevor im Deutschen Land wird sie fast hoch geehret/
Die Erden-Königin ist daselbst eingek ehret/
Hat ihren Sitz gemacht/ Sie weist/ wie man sich
Auff Künste legen sol; Bereitete wunderlich
Den Zierrath dieser Erd/ darob man nimmet Freuden.
Wie artig weiß sie doch die Zeit zu vnterscheiden?
Der Tag geht vor sich hin/ die Nacht hält ihren lauff/
Der Winter weichet nicht/ der Sommer hört nicht auff/
Das Uhrwerck aber weiß die Tag^e vnd Nacht zubringen
In ihr gewissen Stund/ darin die Glocken klingen/
Vnd geben zahl der Zeit/ ohn einigen nachlaß.
Wie zeigt dem Schiffer doch der richtige Compass
Den Weg auff hohem Meer/ wohin er's Schiff sol führen?
Wie muß den Erdenkreiß verderben/ vnd außzieren
Die hohe Krieger-Kunst? Musqueten vnd Bestück/
Des starcken Pulvers Rauch durch wunderliche Tück?

Wiel tapffer Helden schwächt/ vnd kühne Ritter schützet/
Den König fast so bald als wie den Pawren ritzet
Das feuer-heisse Bley. Was machet doch für gunst/
Vnd Ansehn in der Welt die güldne Drucker Kunst/
So vnsern Namen bringe bey alle Leut der Erden?
Durch Sie wir vberall erkennen können werden.
Vnd kommen hoch empor: ein Mittel/dadurch Gott
Sein Kirchen stz vermehrt/macht auß seinn Feinden spott/
Lehrt alle Welt hiedurch Gebot vnd Rechte halten.
Was wusten doch hievon die immer weisen Alten?
Natura gönnet vns/ O solten sie das sehr;
Gewünscht würden sie gern wieder bey vns gehn/
Vnd lernen was ihm fehlt. Auch weise Künstler haben
Städt/ Völcker/ Länder/ Welt/ in Kupffer auf gegraben
Vnd auffo Pappier gebracht/ ja n Himmel/ Erd vnd Meer
Vns eigen abgebildet/ nach wünschen vnd begehrt.
Die Wahler weichen nicht/ ihr Kunst sie auch vmbtragen
So ihn Natura schenckt/ nichts isto/ daß man wil sagen
Die Alten gehen vor. Man findet eben stz
Bey ihnen solch Gehirn da hohe Kunst in stz/
Wers nur wol schawen kan. O seind nur gut Bezahler
So finden sich alß bald gar künstlich gute Wahler/
Die Kunst wil seyn bezahlt/ wird Kunst gemacht vmbsonst
So scheint es keine Kunst/ vielmehr ein blosser Dunst.
Die Künste steigen hoch/ wie täglich wird vernommen/
Isto möglich wol/ daß auch noch höher solte kommen
Die lieblich Musica/ die Kummer Wenderin?
Man spielt vnd singet ja fast vber Menschen Sinn/
Wie die Erfahrung zeigt. Nicht die Natur- Belehrt
Die Pfeiler fester Städt/ die billich Hochgeehrten
Sehn ihrem Prinzen nach. Das schön Natürlich Liecht
Leucht im Verstand ihn mehr/ kein Wissenschaft gebricht.

Dies

Sieß haben das ersehn wie sich die Erde täglich
 Umbwendet vnvermerckt / der Himmel unbeweglich:
 Dasß der Comet ein Stern / vnd kein Luftzeichen sey/
 Weil paralaxis sie des wahnes machet frey;
 Vnd was des Dinges mehr / so gleichsam abgerissen
 Die Himmels-Treter setzt. Ich solte bald vergessen
 Der vnsterblichen Kunst / so nicht auff Erden nur
 Auffkompt vnd vntergeht / die Brüder der Natur /
 Das vnvergenglich^o Volk / die Himlischen Poeten
 Sind vielmehr als man meint. Ihn können keine Nöten
 Zufallen vnvermerckt / das Unglück weichen muß /
 Sie werffen alles hin was ihnen bringet verdruß.
 Dies ist die weise Schaar / so Helden mehrt ihr Leben /
 So Königen ihr Lob vnd Ewigkeit kan geben /
 Ein nicht gemeiner Sinn ist / den der Himmels-Geist
 Selbst reget vnd antreibt / ihm thun vnd lassen weist.
 Der kommet nu in vns. Wie herlich sie jetzt blühen
 Zeigt ihrer Bücher meng^o / ja viel derselben sichten
 Dem grossen Adler nach / vnd werden Welt bekandt /
 Sie vberfahren weit des Pöbels vnverstand
 Mit Wolcken dick bedeckt / in frewden sie aufreissen /
 Zu nisten am Bestirn sie ernstig sich beflissen
 Durch sie verbleibet Ruhm / noch heut^o in ihnen lebt
 Das freye Griechens Volk / so vormals hoch geschwebt /
 Vnd nu verrichtet ist / die Helden / so bezahlet
 Die Schulden der Natur / sieht man durch sie gemahlet
 Mit lebendiger Farb^o / ihr würd jetzt nie gedacht /
 Wenn die Poeten sie nicht lebendig gemacht.
 Das höfflich Franckreich / Italien desgleichen
 Läßt ihrer Dichter Schaar biß an den Himmel reichen /
 Zur Sprach- vnd Landes-Zier / das Deutschland geht mit ihm
 Sie sind gestiegen hoch / wir folgen ihnen kühn.

Mit vnser Deutschen Zung. Wie schon mit wolbehagen
Bey allen Rändern hatt' Apollo angeschlagen
Sein Freyen Künst Panier/ war Deutschland noch gar rauch
Nur Krieg vnd Sauffen gieng im Schwange nach gebrauch.
Wie aber haben sie die Frembden jetzt erfüllet
Nach dem die Musen sich zu ihnen nur gesellet?
Auff gleich' art sol ihn bald auch vnser Poest
Das vorthail lauffen ab durch der Poeten müß.
Ist diß nicht neues thun? wer dacht' an die Ursacher?
Viel Alte waren nur Barbarisch Reimen macher
Wie heute noch viel sind: nun/ nun ist auffgericht
Ein Plect der Poesi/ nun wird groß ding verricht
In vnser Deutschen Sprach/ so in sich hat vergraben
Red-Zier/ vielfältig Wort/ als andre mögen haben.
Der edle Bentsche Schwanden Anfang hat gemacht/
Vnd der/ auß Schlesiens/ hat sie an vns gebracht/
Den danken billich wir. Auch mich hat angenommen
Apoll' in seine Guld/ nach dem ich bin gekommen
Auff Lieb des Vaterlands/ zu vnsero Deutschen Sunst/
Was ich verrichten werd sol auch nicht seyn vmbsonst/
Beliebt's Gott/ vnd der Zeit. Ich wil durch künsttig schreiben
Noch manchen kühnen Held mit Freuden einverleiben
Der grauen Ewigkeit. Wenn mir wird sein bekant
Das ich von Hertzgen wünsch! das hohe Niederland/
Was sonst vor Zeiten sey in Gallien geschehen
Vnd alt Italien; wann ich/ wils Gott/ ersehen
Der frembden Völcker Tracht/ vnd ihre Sprach erkünd;
So wil ich setzen an/ vnd nehmen was ich find
In Büchern vnd Gemüth. Sich hab' ich mir erkohren/
O frey Poeterey/ wer dir sich zu geschworen/
Klebt nimmer an der Erd/ er schwebet hoch empor/
Bis ihm eröffnet wird zu'n Künstten Thür vnd Thor.

Auff

Auß Preussen kom' ich an/ nach Preis vnd Ehr' ich strebe/
Nach vnvergänglichkeit/ auff daß ich immer lebe/
 Vnd bleib der Welt bekandt mit Ehre nach der zeit/
 O süsse Poesi/ du bringst Vnsterblichkeit!
Ein Poetischer Wuth erforschet alle dinge/
Warumb das dieses bleibt/ vnd jenes bald zer springe?
 Ersucht der Blumen Krafft/ vnd Feld-Bewächs hervor/
 Gewinnet also lieb die Schwester der Natur/
Die Göttlich Medicin. Denn weiß er zubereiten
So künstlich' Arzney/ als man in alten Zeiten
 Raum fast ersehen hat. Der suchet seine lust
 Des Nachtes/ am Gestirn: Poeten wie bewusst/
Im Wald/ vnd grünen Gart: ein ander hat sein wesen
Vnd groß' Ergerzligkeit mit embsig Bücher lesen:
 Ein weiser Medicus erseheth sein Genieß/
 Vnd des Gemüthes Frewß/ im irdischn Paradies.
Das ist die Apotec/ daselbest er erfindet
Was er ihm wüandschen möcht/ sein' Augen er verbündet
 Zu sehen/ was ihm liebt. Vnd was er nur erblickt/
 Gibt ihm ein solche Krafft/ dadurch er fast verzückt/
Weil er es besser kennt/ als sonst ein gemeiner/
Hat er des grösser Frewß. O Augen-Weid! solt einer
 Ihm's lieber wüandschen auch? All diese dinge nu
 So in der Apotec/ Herr Bildbrand/ richt ihr zu
Durch ewre Wissenschaft/ die Euch viel höher hebet
Als das verfinstert' Volck/ so an der Erden klebet/
 Vnd Irdisch ist gesinnt. Die nicht gemeine Kunst
 Habt ihr/ mit ewrem Lob/ vnd vieler Herren gunst
Am nächsten auch erweist/ als nemlich/ wol zu machen
Den Edlen Tyriack/ wie vielfältige Sachen
 Behören doch dazu? von Feld-Kraut/ Garten-Blum/
 Sebrandten Wassern auch/ von Steinen/ derer Ruhm
Stets

Stets köstlich heist vnd ist/ vnd was noch mehr der dingen/
So ihr nach Wissenschaft/ darinnen wüßt zubringen.
Fahrt ferner also fort/ vnd seyd mit ewer Kunst
Den Menschen künstlich nützlich/ habt dadurch ihre Gunst.

Auß geneigtem Gemüth
übersendet dieses

Michael Albinus
Dantisc. Borufs.



6304.T